



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica**

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros  
distributam

**Lynch, Richard**

**Lvgdvni, 1654**

Tractatvs VII. De quinque prædicabilibus respectu Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

Raphaël Auerſa hic quaest. 54. sect. 4. Ioannes de S. Thoma 2. parte log. quaest. 12. Rodericus Arriaga disput. 8. log. sect. 3. partem negantem tuentur. Quorum sententiam probō, rationes improbo; iisque omiſſis, hunc in modum argumentor. Non ſolum hæc prædicatio, *aqua eſt calida*, ad acci- dens quintum prædicabile ſpectat, vt Conimbri- cenſes, & Fonſeca nobis aduerſarij exiſtimant; ve- rum etiam hæc, *aqua poſſibiliter eſt calida*, ſeu *calida eſſe poteſt*; at ad hanc poſteriore prædica- tionem aquæ exiſtentia non requiritur, quantum- uis ſit ad priorem requiſita; eo quod hæc poſterior ſit ſempiternæ veritatis, & in ea copula, eſt, abſol- uatur à tempore, cum tamen illa prior oppoſito modo ſe habeat: vt igitur acci- dens quintum prædi- cabile de ſuis prædicetur inferioribus, eorum non poſtulat exiſtentiam: minor eſt per ſe, ac ſponte ſua manifeſta: maior probatur, quoniam non ſola aqua poſſibiliter calida eſt; & tametiſi ſola, omnis, & ſemper eiufmodi eſſet; non tamen attenta exi- gentia intrinſeca ſubiectioni: haud enim aqua poſſibi- litatem caloris ſibi contrarij ſuapte natura depoſcit.

17

Rurſus ſecundo nullo exiſtente ſubiectioni hæ prædicationes; ſi Petrus exiſtat, erit albus; ſi Paulus exiſtat, erit etiam albus, & ſimiles, eſſent veriſſimæ: ſed eiufmodi prædicationes, quæ deſinunt, ad acci- dens quintum prædicabile ſpectant, cum ſint in quale contingenter. Deinde tertio; hæ prædicationes: hoc album eſt album; illud album eſt album, ad acci- dens quintum prædicabile pertinent: at verè ſunt nullo ſubiectioni exiſtente, vt aduerſus Scotum, & alios ſuo loco probatum manet: ergo, &c. Maior ſuadetur quia eſſe album, licet ſit eſſentiale concreto, quod ei ſubiicitur concrete ſumpto, & ſecundum id, quod in recto, & obliquo ſimul importat, tamen ei acci- dentarium eſt penes id præciſè, quod inſoluit in recto: illæ ergo prædicationes ad acci- dens quintum prædicabile ex parte ſpectant, quamvis partim etiam attingant ad ſpeciem, aliudve prædicabilium eſſen- tialiū: & fanè, ſicut idem reſpectu diuerſorum poteſt eſſe acci- dens phyſicum, & eſſentia phyſica, vt in candore reſpectu ſui, & parietis cernere datur, non eſt cur idem reſpectu diuerſorum acci- dens logicū & eſſentia logica non ſit, atque inſtar vtriuſque non prædicetur.

Præterea quarto: mori, & immodice caleſcere de animali, tanquam acci- dens logicum prædicatur: alſ animalis non poſtulat exiſtentiam, ſed potius eius non exiſtentiam. Tandem quinto: eſſe cogni- tum, eſſe ve volitum, vt aiunt, tanquam acci- dentia logica enuntiantur, atque ad quintum attingent prædicabile, cum prædicentur in quale contingenter: at, vt proximè prædicari poſſint, actuque ſint vni- uerſalia, haud ſemper poſtulant rem cognita, & vo- litam exiſtere; imò potius contrarium haud raro; ni- mirum quories futura, vt futura cognoscuntur aut deſiderantur.



## TRACTATUS VII.

## De quinque prædicabilibus reſpectu Dei.

## CAPVT I.

An de Deo, Perſoniſque diuinis aliquod ex quinque Prædicabilibus dici poſſit?



XPLICATIS quinque prædicabilibus, reſtat explicandum, an eorum aliquod, videlicet ge- nus, ſpecies, differentia, proprium, aut acci- dens dici

poſſit de Deo, aut aliquo eius prædicato: Sententiam affirmantem ſequor, atque ita ſuadeo. Subſtantia eſt genus: at de Deo non minus, quàm de creatura dicitur: ergo, &c. Maior probatur: quia ſubſtantia prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid, hæc autem eſt definitio generis: tum etiam, quia ſub- ſtantia primum, & præcipuum prædicamentum eſt: prædicamenta autem nuncupantur ab omnibus pri- ma decem genera.

Rurſus ſecundo ſuadetur eadem ſententia. Rela- tio vt ſic eſt prædicamentum, & genus: at de di- uinis relationibus, Paternitate nimirum, Filiatione, & Spiracione paſſiua propriiſſime prædicatur. Ad hæc: ratio perſonæ vt ſic eſt genus ad creatam, & in- creatam, cum de iis prædicetur in quid, & ex ſpecie differant: non enim ſolo numero diſſident, ſicut Petrus, v. g. & Paulus, quandoquidem inter ſe ſunt verè diſſimiles. Eadem ratione conuinci poteſt, per- ſonam diuinam vt ſic, reſpectu triplicis ſibi ſubie- ctæ, genus eſſe.

Accedit authoritas Auguſtini lib. 5. de Trinit. cap. 8. vbi docet, *ſacram ſcripturam de Deo loqui ſecundum categorias, ſeu prædicamenta, aliquandò proprie, vt cum ſpiritus, aut ſubſtantia nuncupatur*. Cenſet ergo prædicamentum, ſeu genus ſubſtantie de Deo dici poſſe. Auguſtino conſentit Damafce- nus in elementis cap. 8. ibi *ſubſtantia, qua continet ſuperſubſtantialiter increatam deitatem, cognosci- biliter autem continet omnem creaturam generalis- ſimum genus eſt*. Vbi genus ſubſtantiam eſſe, ac de Deo dici clarè exiſtimat. Quod autem ex Augu- ſtino, & Damasceno dictum eſt, Deum eſſe ſub genere generalisſimo, ſeu prædicamento, dictum puta de prædicamento, non phyſicè, ſed metaphy- ſicè ſumpto, vt explicandum eſt ex profeſſo in Me- taph. lib. 3. tract. 1.

Speciem etiam prædicabilem in Deo locum ha- bere ſuadeo. Quoniam, aut circa idem obiectum Petrum, v. g. Deo inelle poſſunt duæ virtualiter ſcientiæ viſionis omnino ſimiles, altera in ſenſu diuiſo alterius, aut non? Si primum: ergò ab vtra- que ratio ſpecifica viſionis Petri abſtrahi poterit: ſiquidem ad ſpeciem, & quoduis aliud vniuerſale inferiora virtualiter, ſeu ratione ratiocinata diſtin- cta ſufficere probatum eſt tract. primo libri ſupe- rioris. Si ſecundum: ergò à viſione Petri, & vi- ſione Pauli eodem modo tendentibus ratio ſpecifi- ca viſionis Dei de homine poterit abſtrahi: ſiqui- dem ratio illa abſtracta ideo generica, non ſpecifi- ca eſſe deberet, quia viſio Dei de Petro in alias vi- ſiones omnino ſimiles eſſet vltèrius diuidua, ſicut de vni- one humana comparatione vni- onis Petri, & vni- onis Pauli ſuprà philoſophati ſumus tract. de ſe- cundo prædicabili: ſed viſio Dei de Petro in alias omnino ſimiles indiuidua eſt, ſi ſecundum illud eligatur.

Iam de differentia id ipſum ſuadeo, quia differen- tia indiuiduè comitatur genus, eique ſemper adia- cet; at de Deo genus, ergo & differentia prædica- tur. Deinde cui acci- dens phyſicum conuenit, ei ac- ci- dens logicum quintum prædicabile conuenire po- teſt, vt intuenti perſpicuum erit: cui ergò conue- nit differentia phyſica, eidem differentia logica, quæ eſt tertium prædicabile conueniet: quando igitur Deus omnium confeſſione phyſicè, & realiter differt à creatura ei differentia logica non poterit non conuenire.

Proprium autem quartum prædicabile de Deo di- ci poſſe in hunc modum oſtendo: Omnis ratio ſpecifi- ca proprietates aliquas ſtri- ctè ſumptas, ſaltem à ſe

se realiter indistinctas suo sibi iure vendicat, at de aliquibus prædicatis diuinis ratio specifica prædicari potest: ergo & de iisdem proprietates aliqua stricte sumpta, seu proprium quantum prædicabile poterit enunciari. Sic de tribus personis diuinis esse immensum, æternum, aut infinitum tanquam proprium prædicatur. Accidens verò quantum prædicabile, aut est intrinsecum subiecto, & cum eius mutatione coniunctum: atque ita prædicari nequit de Deo, quippe in quem nulla mutatio, aut vicissitudinis obumbratio cadere potest: aut est extrinsecum subiecto, & cum eius mutatione minimè coniunctum, ut esse cognitum, aut amatum: atque ita, quid vetat illud de Deo prædicari?

7 Contra ea, quæ hæcenus disseruimus obiciet primo: si de Deo, genus, & differentia dici possent species ex iis composita de Deo etiam dici valeret: cuiusmodi partes, huic etiam totum potest, ac solet attribui: sed species composita ex genere, & differentia in Deum non conuenit: eiusmodi ergo partes illius metaphysicæ, seu logicæ non possunt in eam conuenire: minor probatur: quoniam actus, & potentia quales sunt genus, & differentia in ordine ad speciem, quam constituunt cum summa simplicitate, & actualitate Dei non coherent. Obiciet secundò ex Magistro Banez: omne genus finitum, & limitatum perfectionem importat: siquidem certas, ac determinatas species, non omnes includit: nec mirum id, cum nullum genus species alterius generis cohibeat: at de Deo nihil finitum, aut limitatum dici potest, ut est luce clarius: ergo nec genus.

8 Obiciet tertio: species prædicabilis de Deo dicta, aut est ratio superior Deo, & creatura: & hoc repugnat, quia ea ratio plura solo numero differentia sub se nequit complecti sicut ad speciem oportet, cum Deus, & creatura solo numero non differant. Aut est peculiaris Deo: & ita etiam inferiora solo numero differentia infra se nequit intueri: quemadmodum opus est ad speciem, cum nulla prædicata Dei solo numero differre possint, eo quod omnis conceptus solo numero distinctus ab alio cohareat cum imperfectione, & limitatione, merito cuius totam perfectionem specificam rationis communis claudere, & ambire non potest, ut in indiuiduis hominis v. g. cernere licet. Obiciet demum: ratio personæ diuinæ non respicit plura specie prædicabili differentia, cum nulla persona diuina species sit, aut vniuersalis sed potius quævis sit singularis, sed sine eo respectu non constat genus, ut cum de eo esset superius sermo, visum est: igitur persona diuina non est genus ad hanc, & illam, illamque. Idem de persona ut sic contemplatione creatæ, & increatæ facilius probari potest, cum videlicet ne mediata quidem plures species prædicabiles hinc, atque inde respiciat, eo quod persona diuina, non solum species prædicabilis non sit verum etiam illam sub se non contineat, sicut persona creata eam sub se cohibet.

9 Ad primum respondeo: actus, & potentia virtualiter intrinsecè, aut virtualiter extrinsecè tales cum summa simplicitate, & actualitate Dei non repugnant: siquidem Pater æternus ex natura diuina, & personalitate patris tanquam actu, & potentia virtualiter intrinsecè, vel certè extrinsecè distinctis componitur, secundum quid utique: actus autem, & potentia huiusmodi ad genus, & differentiam, & speciem ex his metaphysicè compositam est sufficiens: proinde genus, & differentia, ac species ex iis coalescens cum simplicitate, & actualitate Dei ritè coherent.

Ad secundum respondeo: Genus omne finitum, & limitatum quoad perfectionem esse minimè oportet, quantumvis finitas, & determinatas numero species includat: quia ex iis speciebus, quæ ei subiiciuntur aliqua infinitas, & illimitata perfectionis esse potest: quare quamvis genus aliquod de Deo prædicetur, non ob id prædicatum aliquod finitum, & limitatum quoad perfectionem de eo poterit enunciari. Quod si finitum, & limitatum, non quoad perfectionem, sed quoad numerum accipiat, ita tanè quidpiam sine, ac limite coercitum aliquo poterit in Deum conuenire, cum personæ diuinæ sint numero tres, ac proinde finitæ: quam ob rem, licet genus finitas, ac determinatas numero species sub se claudat, atque adeo in hoc sensu finitum sit, adhuc poterit de Deo dici. Quid: quod omne genus, non finitas numero species, ut argumentum supponit, sed infinitas sub se claudere, in physica ostendendum sit latè, & ex professo.

Ad tertium respondeo. Distinctio merè numerica, si simpliciter talis, siue realis sit imperfectionem Deo repugnantem importat, ut argumentum persuadet: iecus verò distinctio numerica virtualis, & secundum quid: siquidem cuius conceptus partialis includit realiter perfectionem rationis specificæ, quæ ab eis abstrahitur: vnde species prædicabilis in Deo locum habere potest, quantumvis inferiora omnino similia, & solo numero distincta respiciat.

Ad vltimum respondeo: Genus prædicatur de pluribus specie prædicabili; formaliter, aut, certè virtualiter differentibus, sicut etiam species prædicatur de pluribus numero formaliter, aut solum virtualiter intrinsecè, vel etiam sola ratione extrinsecè differentibus, ut vltum est in loco: Tres autem personæ diuinæ specie prædicabili virtualiter, seu æquiuenter differunt, cum non minus differant, ac dissimiles sint, quam si formaliter species prædicabiles essent: quare persona diuina ut sic esse poterit illarum respectu genus. Quatenus autem persona ut sic, & latissimè fusa contemplatione creatæ, & increatæ genus esse possit, facilius est exposita: nam persona diuina, & persona creatæ specie prædicabili non solum virtualiter, siue æquiuenter, verum etiam formaliter differunt, quantumvis altera tantum, videlicet creatæ speciem prædicabilem concernat, & sub se contineat: sicut enim Deus, & creatura infinite distare dicuntur, esto alter tantum infinitam perfectionem includat, ita similiter in præsentia, &c. Doctrina hoc capite tradita colludit cum ea, quam tradunt Okamus in 1. distinct. 8. quæst. 5. & Holchor, & Gregorius in 1. etiam distinct. 8. quæst. 3. Gabriel quoque ibidem quæst. 5. ac Marsilius in 1. quæst. 12. art. 2. conc. 6.

## CAPVT II.

*An præter quinque Prædicabilia sint admit-  
tenda respectu Dei, ac trium personarum  
alia assumptiua dici solita.*

13 Quamquam Dei duntaxat verbum caro factum sit; at supponendum est claritatis gratia ex B. Thoma 3. p. q. 3. art. 5. quam sequuntur Caietanus, Capreolus, Suarez, Vazquez, & reliqui communiter Theologi, potuisse tamen fieri, ut etiam Pater æternus, ac Spiritus Sanctus incarnarentur, ut aiunt: Tum autem, non solum hæc prædicationes Verbum diuinum

diuinum est animal, Verbum est homo, Verbum est rationale, Verbum est risibile, Verbum est album essent veræ. Verum etiam aliæ similes, quibus de prima ac tertia persona dicerentur eadem prædicata. Quæstio igitur est, quorum nam prædicabilem sint eæ, quæ modo sunt veræ, & quorum nam essent, quæ in explicata hypothesi forent veræ? & an scilicet quinque vulgarij, vel potius aliorum, quæ dici adfolent assumptiuæ? Respondeo gemina assertione.

14 Quorum prima sit. Probabile est propter prædicationes propositas nullo modo, nulla in euentu illo possibili admittenda esse vniuersalia assumptiuæ; sed propositionum earum quamlibet spectare semper oportere ad aliquod quinque prædicabilem, quæ sunt à Porphyrio iam olim digesta, & à cæteris ferme dialecticis, tum priscis, tum etiam neotericis recepta. Suadetur autem assertio primò. Namque hæc prædicatio; verbum est homo; est quinti prædicabilis: par autem est ratio cæterarum, tum, quarum subiectum est verbum, tum etiam earum, in quibus subiici possunt pater, & spiritus ab eo, filioque procedens: nulla ergò potest non spectare ad quintum prædicabile Porphyrianum, & vulgare, nulla ad aliud assumptiuum: Maior, quæ totius argumenti veluti puppis, ac prora est, hunc in modum suadetur: omnis propositio in materia contingenti est quinti prædicabilis, cum hoc definiatur: quod prædicatur in quale contingenter, aut quod potest adesse, & abesse sine subiecti corruptione: ast ea propositio est in materia contingenti: potuit enim verbum non fieri homo, ac proinde quod sit homo ei contingit. Rursus ea propositio non est in materia essentiali, & necessaria: quæcunque enim est in hac, etiam si sumatur eius subiectum cum aliqua reduplicatione, nihilominus vera euadit, vt palam est in his propositionibus: homo est rationalis: homo in quantum homo est rationalis: quarum posterior haud est minus vera, quam prior, videlicet quia ambæ sunt in materia essentiali, & necessaria. Atqui, si subiectum eius propositionis, de qua est quæstio, congeminetur, hunc in modum: verbum in quantum verbum est homo erit omni falsitate, vt sic dicam, falsior.

15 Deinde ea propositio, si est necessaria, & essentialis, ac minimè contingens, par erit ratio huius: Deus est homo, vt per se palam est, atque apud omnes in confesso: At hæc non est necessaria, & essentialis, sed potius contingens: alioqui certè quidquid est Deus, eo ipso erit reuera homo, adeoque erit homo pater, & spiritus sanctus. Quia ratione, quia hæc propositio est essentialis, & necessaria: homo est animal, aut rationalis, quidquid est homo, id animal, ac rationale nequit non esse. Quocirca propositionem illam, verbum, siue Deus est homo: esse accidentis quinti prædicabilis, siue in materia contingenti (hæc enim duo perinde videntur esse) censent tum P. Vazquez tom. I. in 3. part. quæst. 16. art. 12. disp. 68. cap. 2. num. 4. & apud eum Bonauentura, Scotus, Durandus, Gabriël, Major, Bassolis, Lichetus, Almañus, & Paludanus. Item P. Suarez tom. etiam I. in 3. part. q. & art. citatis in commentario articuli paulò post medium, vbi etiam Capreolum præter alios laudat, sententiamque istam de contingentia eius propositionis docet esse inter Theologos communioem.

16 Suadetur secundo eadem assertio: tametsi hæc propositio, verbum est homo, in sensu superius explicato, eo nimirum, quo verbum sumitur secundum se, & prout condistinctum à natura, quam assumpsit, sit contingens, atque quinti prædicabilis:

ceterum alium admittit sensum priori minus vstitutum in scholis, & extra scholas fortasse haud receptum; iuxta quem sit essentialis, & in materia naturali, atque huic æquiualens; verbum humanatum, vt aiunt est homo, siue Christus, aut Iesus est homo. Ita sentiunt B. Thom. tum loco citato tertiæ partis, tum etiam in 3. dist. 7. quæ 1. art. 1. & 4. ac Richardus de Media-villa eadem dist. tertij lib. sententiarum art. 1. q. 1. ad 3. Argentinas in 3. etiam dist. 7. quæst. vnica art. 4. ad 3. nec non Ferrariensis 4. contra Gentes cap. 45. Caietanus, & plerique Thomistæ, quanquam in eo mihi displiceant hi auctores, quod propositionem illam, verbum, siue Deus est homo: alio sensu, videlicet qui explicatus est supra, negent esse contingentem: quemadmodum etiam probare non possum, quod Doctores priori loco memorati (vno excepto Patre Suarez) non agnoscunt alium intellectum illius propositionis, in quo ea sit essentialis, ac necessaria.

17 Probat autem hoc institutum: quoties alibique natura specifica prædicatur de aliqua hypostasi, siue indiuiduo suo, hoc sumitur in concreto cum natura, quam participat, facitque totius prædicationis sensum esse necessarium, & essentialem, vt patet in his enunciationibus; Petrus, siue hic homo est homo: Bucephalus, siue hic equus est equus: vbi ergò natura specifica hominis de hypostasi diuina siue verbo prædicatur hoc modo, *verbum est homo*; tota propositio esse poterit aliquandò essentialis, & necessaria: quidni ergo homo sit species, eaque Porphyriana, & vulgaris respectu verbi de quo in illa prædicatur: animal ergo erit similiter genus respectu illius, & cæterorum animalium irrationalium, ac rationale differentia: De risibili, & albo, quod sint eius proprium, & accidentis, minus potest dubitari, supposito, quod probatum manet de prioribus prædicatis: Quæ autem eius propositionis est conditio, ea certe est cæterarum omnium, in quibus prædicata ordinis creati, & naturalis de prima, ac tertia persona sanctissimæ Triados enuntiantur: quæ ergò esse potest necessitas aliorum prædicabilium, quibus assumptiuorum impositum est nomen?

18 Assertio secundo. Probabile etiam est dari vnum aliquod, aut plura vniuersalia assumptiuæ ab iis distincta, quæ Porphyrius in Hagoge explicuit sua, quæque cæteri ferme scholastici pleno consensu sunt complexi: Huius autem assertionis tuendæ, & explicandæ triplex esse potest modus. Primus est P. Fonseca in Hagoge cap. vltimo, & 5. metaph. cap. 8. quæst. 7. sect. 6. nec non aliorum recentiorum. Ita autem sic se habet. Ad genus, speciem, & differentiam à Porphyrio tradita, & vulgo recepta opus est prædicari in quid, aut omnino, aut mixta qualitate, non quoad rem ipsam, sed magis quoad modum, adeoque necesse est dici reuera essentialiter: at, cum prædicatur de verbo esse hominem, animal, aut rationale nihil horum ei est essenziale, nihil non contingens: propositiones ergo talibus terminatæ prædicatis nequaquam possunt attinere ad tria prædicabilia vulgata.

19 Cæterum quodlibet prædicatum eorum trium dicitur de verbo substantialiter: substantia enim sæpe apud sanctos Patres perinde est, atque substantia: at ea prædicata dicuntur de verbo veluti substantia per ipsummet, videlicet verbum, & non tantum ei hærentia accidentaliter: consequens igitur est, vt, sicut dictum est, de eo enuntientur substantialiter: hoc autem satis, superque est, vt sint respectu illius genus, species, & differentia: non autem

autem vulgaria, propter rationem paulo supra propositam: assumptiua ergo, & diuersa rationis. Rursus, tamen si predicata illa haud dicantur de verbo in quaestione, quod quid est, siue essentialiter, at certe in quaestione, quisnam est, siue quodnam suppositum est, ut per se claret: hoc ergo ex titulo poterunt esse specifica, generica, & differentialia: at non vulgari, & recepto modo: ergo assumptiue, ut sic dixerim. Deinde tertio: quodlibet eorum extremorum enuntiatur de verbo instar subsistentis, ut monitum est haud semel subsistere autem est existere praecipua quadam, & singulari ratione per se, ac prout hoc opponitur modo existendi in alio, siue per accidens: eiusmodi ergo extrema predicantur de verbo per se, & nequaquam per accidens: adeoque, non velut accidens proprium, aut commune, quorum alterum est quarti, alterum quinti praedicabilis: reliquum ergo est, ut sint respectu illius, genus, species, & differentia: cumque non vulgari, & Porphyriana, certe hoc ipso assumptiua. *Nec mirum*, inquit Fonseca, *quod noua species* (praedicabilium utique) *mundo aduenerint, cum nouo esse substantiali, quod uerbum diuinum pro mundi salute suscepit, quod, nec auditum, Ethnicis philosophis erat, nec cogitatum.*

20 Porro nihil, inquit est, quod cogat proprium, & accidens, alia praeter vulgata adstruere. Namque quae dicuntur de verbo, ei non conueniunt nouo aliquo modo, aut aliter, quam congruunt subiectis suis, quae vulgo sunt recepta: etenim praedicantur de illo, duntaxat contingenter, & accidentaliter, hoc est, nec essentialiter, nec substantialiter; cum tamen genus, species, & differentia assumptiua, noua quadam ratione verbo conueniant; id est non essentialiter, at non propterea accidentaliter: Horum ergo trium praedicabilium, atque duum illorum dispar est conditio. Et quidem accidens & proprium haud sunt assumpta a verbo immediate, sed tantum mediante natura humana, eiusque interstitio, ut est per se exploratum, utque supponunt Beatus Thom. 3. part. quaest. 5. Suarez ibidem disput. 15. sect. 8. & ceteri Theologi. Eatenus ergo praedicantur de verbo, quatenus de natura ab eo assumpta, nec aliter de illo, quam de ista. Atqui intuitu naturae sunt proprium, & accidens proprie talia, nec alia, aut alius rationis, quam duo ultima praedicabilia: eiusmodi ergo erunt etiam respectu uerbi modo, essentiae comparatione aliarum duum personarum, si naturam assumerent humanam, pro eo, ac possunt citra dubium: haud ergo propter mysterium incarnationis inuehenda sunt, uti noua genera, species, & differentia, sic etiam noua propria, & accidentia. Haec sententia Fonseca, quam satis ingeniosam, & probabilem arbitror.

21 Secundus modus declarandae, ac propugnandae assertionis nostrae secundae est P. Balthazaris Tellez 1. part. log. disput. 5. sect. 1. num. 30. admittenda videlicet esse respectu Dei triumque eius personarum quinque vniuersalia assumptiua respondentia ex aequo, & ex aduerso quinque Porphyrianis, & communibus: Tria quidem priora propter fundamenta Patris Fonseca: duo vero posteriora, quoniam, uti ad hoc, ut aliquid sit genus, species, vel differentia vulgari, ac Porphyriano modo, opus est, ut praedicetur essentialiter, & non hypostaticè, & substantialiter: ita etiam, ut aliquid habeat instar accidentis proprii, aut communis, communi & recepta ratione inter Philosophos etiam gentiles, ac mysteriorum fidei ignaros, necessum videtur esse, ut conueniat

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

subiecto, ratione alicuius naturae essentialiter conuenientis tali subiecto, & non tantum substantialiter, siue hypostaticè, hoc est, quia accidit proprie, aut communiter naturae, quam essentialiter participat subiectum illud, de quo dicitur: At esse risibile, v.g. aut album non conuenit verbo ratione naturae diuinæ, eique essentialis, sed merito naturae humanae ab eo assumptae, eique hypostaticè vnitae, neutrum ergo erit gratia verbi proprium, aut accidens praei moris: proinde erunt intuitu illius proprium, & accidens assumptiua, & noua.

Quapropter quicquid vnitum est verbo quocunque modo, aut de eo dicitur, velut tota, & completa natura; & sic est species assumptiua: aut velut pars eius naturae, eaque quasi materialis, siue materiae æmula, & imitatrix quodammodo; & erit genus assumptiuum: aut veluti pars eius naturae quasi formalis, ac potior, hoc est formae physicae instar habens, & similitudinem quandam referens; & sic erit differentia assumptiua, aut veluti quiddam, quod naturae assumptae accidit proprie vel communiter; atque ita erit proprium assumptiuum, & accidens assumptiuum itidem. Diffiteri non possum huic etiam opinioni suam constare probabilitatem.

Tertius modus posterioris assertionis nostrae tuendae, & explicandae est, vnum duntaxat vniuersale assumptiuum admittendum esse, & quod videlicet nec sit genus, nec species, nec differentia, proprium, aut accidens, sed aliud ab his quomodolibet sumptis diuersum. Cuius ratio haec potest tradi. Quemadmodum non sunt multiplicandae entitates naturales sine necessitate; quo pacto in metaphysica ostendendum est, quantitatem haud esse entitatem distinctam à re quanta, eive superadditam; ita nec etiam multiplicandae sunt entitates ordinis supernaturalis, quin aliqua ad id necessitas cogat; quae de causa iuxta Scotum, & alios non paucos gratiae haud est distinctus habitus à charitate nobis infusa supernaturaliter; & quantitas iuxta plerisque, contra quam ipsi, & Nominales sentimus distinguitur à materia prima, quia nimirum ita pauciora sunt miracula in Eucharistiae mysterio: Vniuersalia ergo assumptiua, & supernaturalis ordinis haud sunt plurificanda, sed potius vnum duntaxat est admittendum: nulla enim fortasse necessitas, vel etiam vtilitas plurium. ¶

23 Quod hoc pacto suadeo. Idcirco praedicabilia à nobis vi luminis naturalis inuestigata non sunt vnum, sed plura, videlicet quinque, quia species in eo diffidet è genere, & differentia, quod horum quodlibet praedicetur incompletè, illa verò complete: at nihil eorum, quae praedicantur vi vniionis hypostaticae de verbo, cuiusmodi sunt v.g. esse hominem, animal, rationale, risibile, album, illud complet, aut perficit, tantum abest, ut eorum aliquid sit totum illius complementum, ac perfectio essentialis: omnia ergo de eo dicuntur incompletè. Rursus genus, & differentia inter se in eo differunt, quod illud dicatur in quid tantum, haec vero in quale quid, id est illud tanquam pars essentiae prior logice, & haec velut pars essentiae posterior logice, ad modum, quo in compositione essentiali physica materia, cuius simulacrum est genus, antecedit formam, & haec ad cuius instar concipitur differentia, ordine naturae est post materiam. Atqui ea, quae dicuntur de verbo vi vniionis hypostaticae, ita instituta sunt, ut alterum eorum non sit pars essentiae illius suapte natura prior, & alterum pars posterior; omnia enim sunt eius extra essentiam, & ab ea infinito quodam intervallo distita. Iam accidens, proprium, & commune ob

G g id

id sunt diuersa predicabilia, quia alterum dicitur necessarium, & conuertibiliter, alterum verò non necessarium, nec conuertibiliter: at siue sermo sit de homine rationali, aut animali, siue de risibili, & albo, ita quoduis eorum comparatur, vt illud, verbumque, nec connectantur, nec conuertantur inuicem. Rationes ergò, quæ coegere dialecticos ad vulgaria & naturalis ordinis predicabilia multiplicanda, nullam necessitatem conuincunt multiplicandi ea, quæ sunt assumptiua, ac supernaturalis seriei: non nisi ergo vnum huiusmodi vniuersale, siue predicabile adstruendum. Quamuis autem P. Tellez vbi suprâ hanc reiiciat sententiam, mihi tamen videtur ceteris nihilominus verisimilis.

25 Quo luculentius innotescant hucusque in vtramque disputata partem, aduersus ea quædam obiectiones sunt diluendæ. Primum ergo obiicies. Coniunctio physica, seu realis verbi, & humanitatis est per se, & non accidentalis, siue per accidens: quis enim ausit dicere, Christum esse ens per accidens? similiter ergo vtriusque coniunctio, siue compositio intentionalis, ac logica, qualis certe est hæc enuntiatio; verbum est homo, erit per se, & non accidentaria, aut quinti predicabilis: idem ergo dicendum est de ceteris propositionibus, de quibus est questio, iis nimirum, quæ sunt initio capitis propositæ: proinde falsò videmur adstruxisse quodam eas sensu ad quintum attinere predicabile.

26 Obiicies secundo: species nequit predicari de pluribus differentibus specie, sed potius solo numero: rursus species nequit non predicari de suis inferioribus completè: At neutrum horum quadrat in hominem respectu verbi, & ceterarum personarum: nequit ergò esse species contemplatione illarum: vnde etiam sit, animal non esse earum intuitu genus, nec rationale differentiam, nec risibile fortalsè, aut album proprium, & accidens: Iam igitur falsò adstruximus secundo loco quendam alium sensum, in quo homo sit species, eaque vulgaris, & Porphyriana respectu Verbi, & aliarum personarum facta hypothese, qua naturam assumerent humanam, aut animal genus &c. Quod autem duæ illæ conditiones speciei nuper propositæ haud conueniant in hominem respectu personarum Triados, suadet: nam tres personæ diuinæ specie differunt, sin minus formaliter at certe, quod perinde est, ad præsens institutum, æquiualeuter, siue virtualiter; homo ergo cum de illis omnibus predicatur, eo ipso non predicatur de pluribus differentibus solo numero, sed potius specie, & plusquam numerice: deinde homo, nec complet verbum diuinum modò, nec completeret Patrem, aut Spiritum sanctum, hi si mortalitatis nostræ vile tegmen induerent: qui ergo habere potest locum in homine respectu trium personarum modus ille predicandi in quid complete prius speciei.

27 Quid? quod ita predicari sit dici velut integram essentiam: Catholice autem affirmari nequit, hominem esse integram essentiam verbi, aut talem futuram intuitu primæ, & tertie personæ, si vnirentur hypostatice nostræ naturæ: Huc facit illud Athanasij in Symbolo: *Vnus autem, non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum: Vnus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate persona.* Huc etiam illud B. Thomæ 3. p. q. 2. a. 6. damnantis hæreseos Eutichetem, & Dioscorum, qui posuerunt, quod ex duabus naturis est constituta vna natura, ita, quod consentitur Christum esse ex duabus naturis quasi ante unionem distinctis: non autem in duabus naturis quasi post unionem naturarum distin-

ctione cessante, Quod si natura humana, esset integra verbi essentia, quod damnatur locis adductis ab Athanasio, ac B. Thoma, & quod caput est ab Ecclesia vniuersa, haud posset non sequi.

28 Obiicies tertio: hæc predicatio; *materia prima est informata, aut animata*, est quinti predicabilis: & tamen esse informatum, aut animatum est quid substantiale, adeoque substantialiter enuntiatur de materia: quod ergò homo, animal, & rationale de verbo dicantur instar subsistentis, aut alicuius substantialis, adeoque substantialiter, haud conuincit, prædicationes eiusmodi terminatas extremis esse generis, speciei, aut differentie, quæ dici solent assumptiua; haud non esse quinti predicabilis. Rursus Verbum non est in aliquo predicamento: homo ergo nec est respectu illius species, nec animal, genus etiam assumptiue: alioqui, cum homo, & animal sint in predicamento substantiæ, fieret genus, & speciem esse in aliquo predicamento in quo non sit eorum indiuiduum quoddam.

29 Tandem obiicies: vniuersalia assumptiua dicuntur eiusmodi, per analogiam ad vulgaria, & Porphyriana: hæc ergò, cum sint quinque, totidem esse debent, & illa: quo pacto, quia partes compositionis essentialis logicæ dicuntur distingui, & plures esse per analogiam, & proportionem quandam cum partibus compositionis essentialis physica; quemadmodum hæc sunt duæ, materia nimirum, & forma, ita & illæ, videlicet genus, & differentia.

30 His argumentis proclue est respondere. Ad primum dicendum est, quod coniunctio physica verbi, & humanitatis sit per se, id est substantialis, & non vllius accidentis cum substantia, aliove accidenti, hoc tantum arguit, coniunctionem intentionalem vtriusque, siue propositionem affirmantem hominem de verbo esse aliquo modo per se, siue substantialem: quo pacto quod terminus generationis equi sit substantia facit, vt ipsa generatio equina dicatur quodammodo substantialis: Verum vt quod talis terminus sit substantia, non tollit, quo minus actio eius generatiua sit alio sensu, eoque magis stricto accidentalis; ita similiter, quod coniunctio physica Verbi, & humanitatis sit per se, & substantialis, haud oberit, quominus propositio ad eam terminata coniunctionem, enuntiansque de Verbo hominem sit per accidens, & contingens, alio quidem sensu, eoque, qui magis spectat ad præsens institutum. Adice, si de composito, quod resultat ex humanitate, & Verbo, videlicet Christo, affirmetur homo, hanc compositionem intentionalem, siue propositionem esse per se: atque hoc fortalsè tantum colligi ex eo, quod compositio realis, & quodammodo physica Verbi, & humanitatis sit per se, & non per accidens.

Ad secundum dicendum est, quod problematice defendimus, hominem esse speciem, eamque vulgarem respectu verbi, & aliarum duarum personarum (paremque esse rationem generis, differentie, & à fortiori accidentis proprii, & communis) id intelligendum esse de verbo, non secundum se sumpto, sed in concreto cum humanitate, siue prout est homo: necnon idem intelligi oportere de duabus aliis personis seruata eadem proportionem sumptis. Ita autem homo non predicatur de verbo, & ceteris personis, velut de pluribus differentibus specie: prout enim omnes esse possunt homines, haud ita differunt inuicem. Rursus homo de verbo, & aliis duabus personis ita sumptis, vt manet explicatum, haud predicatur incompletè, sed potius completè: tota enim essentia verbi in quantum est homo & Patris, & Spiritus sancti, si cum eadem con-

minatione

minatione sumantur, & facta aliqua hypothesi, est esse hominem. Atque hoc pacto humanitatem esse integram essentiam Verbi diuini, aut fore patris, vel spiritus sancti, si nostram allumerent naturam, nihil habet commercij cum Eutychemis, & Dioscori errore, nihil Athanasio, Thomæ, aut Ecclesiæ contrarium.

32 Ad tertium, quoad priorem eius partem dicendum est, in ea prædicatione: *materia est informata, siue animata*, substantiam quidem aliquam dici de materia, at non substantialiter, siue instar substantiæ, sed potius per modum meri accidentis, ideoque eam prædicationem esse quinti prædicabilis: quo pacto hæc propositio, *lignum istud est auratum*, huius est prædicabilis iuxta omnes, quia tamen substantiam auri prædicet, non tamen per modum substantiæ, sed magis accidentis: Cæterum, cum dicitur, *verbum est homo*, non modò prædicatur substantia hominis de verbo, sed substantialiter, siue instar substantiæ, aut per se subsistentis, non verò accidentaliter, sicut si diceretur verbum esse humanatum: quid mirum ergo, si posterior hæc prædicatione non sit quinti vniuersalis, eius verò sit prior illa?

33 Ad posteriorem eius argumenti tertij partem respondet P. Balthazar Tellez ubi supra admissa sequela, videlicet fieri posse, ut indiuiduum aliquod sit sub aliquo prædicamento, sub quo tamen haud sit genus, & species, quibus eiusmodi subiicitur indiuiduum. Verum à me nunquam impetrare, poterit, ut id concedam: quemadmodum enim fieri nequit, ut corpora isthæc inferiora sint sub lunæ cauo, quin hoc ipso sint sub primo mobili, ac decimo cælo, quod, tum sphaeram lunæ, tum reliquos planetas, ac stelligerum orbem sub se continet, & infinita propemodum ambitione cingit; ita similiter non conspicio, quo pacto indiuiduum aliquod sit sub specie, aut genere inferioribus aliquo prædicamento, siue supremo genere, quin etiam sub isto cohibeatur. Respondeo igitur primò; verbum esse sub prædicamento substantiæ, sub quo est animal, & homo, ut in Metaphysica loco ostendam Respondeo secundo, tamen verbum non sit sub prædicamento substantiæ per se, & essentialiter (quod certè de eiusmodi prædicamento physice sumpto probabilius duco) esse tamen sub illo contingenter: qua tantum ratione est etiam sub animali, & homine: In hoc autem quid obsecro est incommodi absurdum?

34 Ad quartum dicendum est; prædicabile assumptiuum haud inuectum esse de nouo in scholas propter analogiam, & proportionem cum vulgari, & Porphyriano, sed potius propter illius ab hoc diuersitatem non mediocrem, & quia huius conditiones, & leges haud seruat, haudvè potest: proinde, quamuis hoc sit quintuplex, non ob id necesse est, illud in totidem species dissecandum esse satisque, ac super erit, si tantum fiet vnum.

### C A P V T III.

*Occasione eorum, quæ disputata sunt capite præcedenti quaritur in hoc, an numerus quinaris prædicabilium sit rectè constitutus?*

35 Quid enim plura esse debeant, hisce videtur argumentis confici. Præter illa quinque est aliud P. Lyncei Philosophia Tom. I.

assumptiuum, vnum certè, aut multiplex, ut tanquam probabile à nobis propugnatum est capite superiori: numerus ergo ille vulgaris prædicabilium haud est ex vero, vel a quo constitutus. Secundo ens est prædicabile & vniuersale: at nullum eorum quinque: non enim genus, alias esset prædicamentum, siue, quod iuxta est, supremum genus, & sic non essent decem prædicamenta: non species, differentia, proprium, aut accedens, ut per se, ac sponte sua manifestum: præter ergo quinque illa est aliud, videlicet ens. Tertio hæc prædicatione: *homo, v. g. est existens*; est alicuius vniuersalis, & prædicabilis, non generis, speciei, aut differentie: hæc enim tria prædicabilia sunt essentialia; at existere cuius contingit creaturæ: non proprii, aut accidentis: hæc enim duo prædicabilia distinguuntur realiter à subiectis suis, earumque substantiæ nequaquam sunt; at existentia hominis haud est ab eo realiter distincta, haud aliud reipsa, quam eius substantia, quidquid sit, an ab eo distinguatur ratione nostra.

Quarto: hæc prædicatione: *homo est animal rationale*, est alicuius vniuersalis, siue prædicabilis: at nullius eorum quinque: siquidem non est generis, quia hoc prædicatur incomplete; at animal rationale complete: non speciei, quia hæc prædicatur tantum in quid; at animal rationale etiam in quale merito differentie, quam inuoluit: non differentie, quia hæc dicitur in quale quid, & velut alteri adiacens; at animal rationale nulli comprædicato adhaeret, nullo est ratione nostra posterius: non denique proprii, ut palam est: igitur præter hæc quinque aliud assignandum est, quod prædicetur, partim in quid, partim in quale quid, uti animal rationale, & quoduis aliud simile vniuersale.

Quintò: hæc prædicatione: *homo, in quantum est substantia, est substantia*, est prædicabilis alicuius: sed nullius eorum quinque, quæ communiter circumferri adsolent: haud enim generis, siquidem hoc prædicatur incomplete, id est non tanquam tota rei essentia; substantia autem est tota essentia hominis, sin minus ut homo est integre, at saltem quatenus est substantia: quo pacto superius dictum est, totam essentiam Verbi in quantum est homo, esse hominem: haud etiam speciei: qui enim fieri potest, ut substantia, quæ respicit plura specie, imò etiam genere differentia sit species prædicabilis, & infima: haud denique differentie, proprii, vel accidentis, ut per se liquescit.

Sextò, & ferme recidit in idem: hæc propositio: *hoc rationale, nimirum quo constat Petrus, est rationale*, non est generis, defectu videlicet inferiorum dissimilium, & specie differentium: non speciei, nam rationalitas non est tota hominis essentia logica, quippe quæ non ex ea sola, sed ex ea, & vltèrius animalitate coalescit: non differentie, quoniam hæc dicitur in quale quid; at rationale de hoc rationali tantum in quid: uti enim quærenti, quid est hic homo, est homo rectè respondeas, ita & disquiranti, quidnam est hoc rationale per hoc, quod sit rationale: aut paulo aliter; idcirco rationale dicitur de homine in quale quid, quia illum cum animali velut pars logicè posterior constituit: ita autem non se habet respectu huius rationalis, hoc siquidem rationale propterea tale formaliter constituitur sola rationalitate, & hæcitate seorsim ab animali: denique præfata propositio non est proprii, & accidentis, ut certo certius: at alicuius prædicabilis. Septimò ex Caietano: indiuiduum vagum, ut quidam homo, est vniuersale, & prædicabile: sed non genus, ut constat: nec species; homo enim

secundum se tantum, & propterea ab omni indiuiduatione etiam vaga, & indeterminata præcisus, est species, ut etiam per se videtur constans: non item proprium, aut accidens: aliud igitur ab his quinque.

39

Rursum octavo: Genus, & species idcirco sunt duo prædicabilia, quia illud prædicatur de pluribus differentibus specie in quid; & hæc de pluribus differentibus solo numero in quid: At etiam genus infimum, & subalternum ita instituuntur, ut alterum prædicetur de pluribus differentibus specie sola, & alterum de pluribus differentibus etiam genere: item differentia infima, & subalterna ita sunt instituta, ut altera sortiatur inferiora specie, & altera genere differentia: tantum ergo dissident ex modo prædicandi genus subalternum, & infimum, tantumque differentia similiter subalterna, & infima, quantum genus, & species: iam ergo præter speciem, proprium & accidens sunt quatuor prædicabilia, videlicet genus infimum, & genus subalternum; necnon differentia infima, & differentia subalterna: quo fit prædicabilia vniuersim sumpta haud esse quinque tantum, sed septem: quatuor enim addita tribus numerum efficiunt septenarium.

40

Tandem: modus prædicandi sequitur quodammodo modum essendi: cum ergo modi essendi, siue entium sint decem, videlicet substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, ubi, quando, situs, habitus, totidem erunt prædicabilia: nimirum prædicabile substantiæ, ut cum dicuntur de aliquo esse animal, hominem, rationale, aliaue genera, species, aut differentia: prædicabile quanti, ut cum esse magnum vel paruum, longum, aut breue, &c. prædicabile qualis, ut cum esse bonum, vel malum, calidum, aut frigidum; potens, aut impotens, &c.

41

Iam verò quod prædicabilia sint pauciora, quam quinque, aliis videtur argumentis posse conuinci. Siquidem, si strictissime sumantur, & propterea à Porphyrio, & aliis destinata sunt ad perfectam intelligentiam prædicamentorum, quid est, quapropter esse debeant plura, quam duo, genus videlicet, & species? Namque in prædicamentali serie ab eius capite, & initio ipso, nimirum prædicamento ad indiuiduum usque tantum directe collocantur genera, & species: cætera verò vniuersalia tantum versus latera, & indirecte in ea constituuntur. Atque dualem hunc prædicabilium numerum admittunt, & approbantur Ammonius in antepædicam. cap. 3. Commentator ibidem cap. 2. Boëtius in prædicam. commento sexto, Simplicius com. 6. & 9. Dexippus cap. 24. & Porphyrius ipse in prædicam. interrogat. 35. quos refert, & magna ex parte sequitur Auerſa in log. q. 8. sect. 16.

42

Rursum secundò, prædicabilia strictissime sumpta, & propterea ad prædicamenta viam sterna videntur alicui esse tria, nimirum genus, species, & differentia; excludi enim debere proprium, & accidens, ob causam paulò supra posita: includi autem differentiam, quia tamen indirecte, & obliquato tramite à prædicam. siue supremo genere ad indiuiduum usque recurrit, tamen est essentialis speciei & compars generis. Atque ita sentit tum Auerſa ubi paulò supra, tum etiam, quod caput est B. Augusti. in cathgor. cap. 7. ubi tria illa tantum prædicabilia assignat, aliorumque nullam habet rationem.

43

Tertiò tandem defendi potest, prædicabilia esse quatuor, quorum primum sit genus, secundum species, tertium differentia propriissima, cuiusmodi est rationale, necnon propria, quale est risibile, & quar-

tum accidens. De genere, specie, & accidenti esse diuersa prædicabilia, constat ob eas rationes, quibus probari consuevit numerus quinarium prædicabilium: quod verò differentia propriissima, & propria sit vnum tantum prædicabile, suadeas ita: proprium realiter essentialis, & realiter distinctum ab essentia rei ad idem, iuxta nos etiam, & plerisque prædicabile attinet, videlicet quantum: à fortiori ergo, ut aiunt, differentia propriissima ratione nostra essentialis, & propria ratione nostra, non essentialis, sed ab essentia distincta, & tamen realiter eadem ad idem spectabunt prædicabile: plus enim distant inuicem esse idem, & non esse idem realiter, siue, quod perinde esse realiter, & non esse realiter extra essentiam rei, quam esse idem, siue essentialis ratione nostra, & non esse ita idem, & essentialis: hæc namque duo posteriora compatiuntur identitatem realem, & veram, secus vero illa priora. Et quidem numerum hunc quaternarium, prædicabilium videtur insinuare B. Damasc. in dial. c. 9.

44

Arbitror in primis numerum quinque prædicabilium satis recte esse constitutum: Eum complectuntur Porphyrius, & Boëtius in præfati, Auerſa in epitomæ log. cap. 1. Ammonius com. 2. B. Thom. in summa log. cap. 1. Scotus quaest. 2. in prædicabil. & vtriusque sectatores omnes: Item Albertus Magnus tract. 2. in prædicabil. cap. 9. Auerſa supra quaest. 8. log. sect. 16. Ex nostris quoque Conimbr. tom. 1. log. q. 7. in præfati Porphyrii art. 1. Fonseca, tum in Ilagoge: tum etiam 5. metaph. cap. 8. quaest. 7. Suarez in met. disp. 6. sect. 8. num. 7. Tolerus quaest. 3. prædicabil. concl. 1. Hurtad. in log. disp. 7. quaest. 2. Rubius in log. qu. 9. de vniuersalibus ante medium, Arriaga disp. 9. log. sect. 1. num. 1. Balthasar Tellez, in summa philosoph. 1. part. disp. 5. sect. 1. ac, ne multis morer, nostri omnes, quos viderim, Huius autem diuisionis ratio tradita est obiter, & ex occasione cap. præcedenti: nam, aut prædicatur aliquid in quid completè & erit species, vel in quid incompletè, & erit genus, vel in quale quid, & erit differentia, vel in quale necessario, & erit proprium, vel in quale contingenter, & erit accidens. Præter hoc autem prædicandi modos, quis alius esse potest.

45

Quamquam autem numerum illum quinarium prædicabilium probem, haud tamen ei sic adhæresco ut negem assignari posse alium magis locupletem, minoremve, & magis curtum. Censeo ergo in primis, ita numerari posse prædicabilia, ut sint plura, quam quinque, videlicet sex, genus, species, differentia, proprium, & accidens, necnon vniuersale assumptiuum: aut septem, ut genus infimum, genus supremum, species, differentia infima, differentia subalterna, siue suprema, proprium, & accidens: aut decem ut prædicabile substantiæ, quanti, qualis, &c. videlicet iuxta numerum prædicamentorum, siue modorum essendi multiplicatis prædicabilibus, siue modis prædicandi: aut alio ex titulo decem, scilicet genus, species, differentia, proprium, & accidens, vulgaris, ac totidem assumptiuum iuxta disputata capite præcedenti. Rursum censeo, numerum prædicabilium assignari posse minorem: ita nimirum, ut prædicabilia sint duo, aut tria, aut quatuor: vel eo sensu, qui paulò supra ex veteribus propositus manet, & confirmatus: vel certè alio, nimirum iuxta quem sint duo prædicabilia, alterum in quid, & alterum in quale: siue essentialis, siue accidentale: aut tria, ut prædicabile in quid, & in quale quid, & in quale tantum; aut, quod perinde est, essentialis, tantum, accidentale tantum, & partim essentialis, partimque accidentale, illud ex parte rei ipsius, & hoc ex parte solius

folius modi: aut quatuor, vt prædicabile essentialiter complete, & essentialiter incomplete, & accidentaliter conuersum, & accidentaliter inconuersum.

46 Porro autem hæc doctrina optimè coheret cum superiori: quid enim vetat, prædicabilia alio, alioque modo sumpta posse dici quinque tantum, aut etiam plura, vel pauciora? an non licet res qualvis aliter, aliterque ordinare, & numerare? Sic certe diuidi potest exercitus; vel quadrifariam, videlicet in quatuor legiones, vbi his constat, vel trifariam, scilicet in legiones, & cohortes, & manipulos: Sic annus diuiditur; modo quadrifariam, nempe in ver, æstatem, autumnum, & hyemem; modo vero fufius longè, nimirum in duodecim menses: Sic denique à nobis in Metaph. lib. 3. tract. 1. cap. 3. constituitur, prædicamentorum numerum ita esse denarium, vt alius, aliusque possit assignari. Quod ergo prædicabilia sint quinque, hoc nullum importat præiudicium aliter ea numerare volentibus.

47 Atque hinc obiter constat aduersus Conimbricenses in præf. Porphyrij q. 7. art. 3. Hurtadum disp. 7. log. sect. 2. num. 10. & Arriagam disp. 9. log. sect. 2. num. 10. prædicabile vt sic haud diuidi in quinque prædicabilia vulgaria tanquam in species infimas, & immediatas: tum, quia species infima non est diuisibilis in alias vltiores: at genus diuiditur in supremum, & infimum, necnon differentia in infimam, & subalternam: haud ergo genus haud etiam differentia, est species infima prædicabilis in communi: tum etiam, quia inter speciem infimam, & rationem, quam contrahit, nequaquam mediare potest alia ratio superior, & generica, vt cernere est in homine, & animaliat inter prædicabile, vt sic, & genus, speciemque mediat prædicabile in quid: item inter prædicabile vt sic, & genus speciem, & differentiam, prædicabile essentialiter: necnon inter illud, & proprium, accidentis, prædicabile in quale tantum. Atque huic nostræ sententiæ fauent Kubius citata q. 9. de vniuersalibus, n. 171. Tellez supra disp. 5. log. sect. 1. num. 34. Ioannes à S. Thoma 2. p. log. q. 6. art. 2. ad finem, quamquam etiam oppositum probabile esse inibi existimet.

48 Proximum est, vt argumentis aduersus numerum vulgarem, & quinarium prædicabilium à nobis approbatum, tamen non reiectis aliis prædicabilia numerandi modis, respondeam. Ad primum dicendum est, in primis eo non conuinci, quin numerus quinque prædicabilium, rectè sit assignatus, si sermo sit, de prædicabilibus naturalis ordinis, & quorum vnio cum subiectis suis haud est miraculosa: deinde, cum probabile sit nulla dari vniuersalia assumptiua distincta à vulgaribus, hæc esse quinque tantum, quis neget eo ipso esse probabile? Ad secundum respondeo: ens haud esse prædicabile strictissime sumptum, siue prædicamentale, de cuius folius agitur numero in præsentiarum: nimirum, quia est supra omne prædicamentum. Rursus respondeo satis probabile esse, quod ens sit genus: vt videbitur in met. lib. 5. tract. 2. inter tuendam vniucationem entis: vbi, quantum in nobis erit, fiet quidem satis, cum lateque difficultati in contrarium adductæ.

49 Ad tertium respondeo, existens haud esse vniuersale rigorosissime sumptum, siue prædicamentale, cum omnibus sit commune prædicamentis, vti de ente paulo superius dictum: quocirca, esto illud nullius sit prædicabilis: eorum, de quibus agimus, haud propterea, quidquam sequi aduersus quinarium, & vulgarem illorum numerum. Vel secundo dici potest, eam prædicationem, homo est existens, esse quin-

P. Lycei Philosophia Tom. I.

ti prædicabilis: de huius autem ratione satis esse, vt sit realiter separabile, à subiecto, de quo dicitur, siue vt hoc sine illo possit reperiri: ita autem homo essentialiter sumptus, & pro vt in possibilitatis suæ statu consideratus esse potest sine existentia, & quin huiusmodi prædicatum ei conueniat.

Ad quartum respondeo; hanc prædicationem: homo est animal rationale, non esse vnus prædicabilis, sed duorum, videlicet generis, & differentię. Idcirco enim hominis v. g. & equi in vnā quandam tertiam speciem commixtio repugnat, quoniam ambobus est essentialis distinctio realis eos dissolvans inuicem: at etiam animali, & rationali est essentialis distinctio rationis alterum fecernens ab altero: fieri ergo nequit, vt ambo in vnum, idemque prædicabile mixti generis confundantur.

Ad quintum dicendum est, propositionem illam: homo, in quantum substantia, est substantia: esse speciei: quamvis enim homo ei subiectus, Leo, equus, & cetera substantię inferiora differant specie, quod quidem videtur contra rationem speciei: at non pro vt sunt substantię: homo autem non nisi cum hac moderatione substantię subiicitur in ea prædicatione: hæc ergo respectu illius, & quoruncunque inferiorum similiter sumptorum fortitur rationem speciei. Quod autem obiicitur, substantiam haud esse totam essentiam hominis, id falsum est, si hic accipitur, non absolute, sed cum præfata geminatione, videlicet pro vt est substantia. Secundo responderi potest, eam prædicationem non esse formalem, sed identicam, huius instar: substantia est substantia: quocirca, quod ea nullius sit prædicabilis ex quinque vulgatis, nihil interesse: numerum enim prædicabilium assignatum esse pro eis duntaxat, quæ prædicantur formaliter, & non identice: propterea, quod in scientiis solarum propositionum formalium ratio habeatur, vt plurimum.

Ad sextum dicendum est, quod dictum est ad præcedens argumentum seruata proportionem: videlicet eam prædicationem: hoc rationale est rationale, esse speciei, eo nimirum, quod huius rationalis, vt præcise est hoc rationale, vtque sumitur seorsum à quouis alio gradu metaphysico, tota essentia logica sit rationale, esto eius in sensu composito animalitatis, siue pro vt est perinde, atque hic homo, rationale non sit tota quidditas logica: Vel secundo, illam propositionem esse identicam, & non formalem, ac proinde nullam facessere difficultatem. Ad septimum dici debet indiuiduum vagum, haud esse prædicabile, aut vniuersale, vt supra tract. 4. huius libri ostensum est.

Ad octauum, & nonum respondeo, iis, quemadmodum & quibusdam superiorum, hoc tantum effici, prædicabilia aliter censeri posse, atque ita, vt sint plura, quam quinque; nempe septem, aut decem: Hoc autem vltro largior, sic tamen vt abnuam numerum quinarium, & vulgarem illorum ob id reiiciendum esse: quæ duo, quo pacto cohaereant inuicem, inter nostram hac in controuersia sententiam proponendam declaratum est paulò superius. Rursus, vt explicatum est tract. 2. huius lib. c. 1. & tract. 5. cap. vlt. potior ratio est, vt genus, & species sint diuersa prædicabilia, quam genus infimum, & subalternum, quamve differentia infima, & subalterna: scilicet genus, & species ita comparata sunt, vt illud prædicetur incomplete, & hæc complete: quod tamen discriminis haud est reperire inter genera vlla, haud etiam inter vllas differentias. Iam vero tribus aliis argumentis, quibus confici videbatur, prædicabilia reduci posse, vel ad duo, vel ad tria non est, quod

G g 3 immoremur

immoremur: haud enim reculamur, quin ita possint reduci ad pauciora, quam quinque: illud largiri non possumus, nec debemus, communioem sententiam, ea quinque dispartientem, propterea esse refutandam.



## TRACTATUS VIII.

### De prædicatione concretorum, & abstractorum ad quinque prædicabilia spectantium.

#### C A P V T I.

*Quid de eorum prædicatione nobis verius videatur.*

1. Sfero primò: abstracta substantialia ratione quidem, sed sola inuicem distincta, nihilominus possunt inuicem verè prædicari: quare hæc prædicationes sunt veræ, humanitas est animalitas, humanitas est rationalitas, animalitas est conuerso est humanitas, rationalitas etiam est humanitas, animalitas est rationalitas, rationalitas est animalitas. Ita quoad quatuor priores propositiones Fonseca lib. 5. metaph. cap. 28. quæst. 13. sect. 4. Oñe qu. 3. vniuersalium art. 3. Masius quæst. 6. Mercadius in cap. de genere. Canter. cap. de differ. & plures alij quos suppressis nominibus refert Rubius in logica tractatu de natura entis rationis num. 11. Ita etiam tum quoad quatuor illas priores propositiones, tum quoad duas posteriores, Sotus in prædicabilibus quæst. 3. art. 2. post medium. Hurtadus citata disputat. 3. sect. 3. Arriaga disp. 4. logic. sect. 9. subsect. 2.
2. Suadet autem ea assertio hunc in modum: identitas realis subiecti, & prædicati sufficit ad veritatem enuntiationis neutiquam reduplicatiuæ: prædictæ enuntiationes nulla particula reduplicante sunt affectæ, earumque prædicata subiectis sunt realiter eadem: quidni ergo sint veræ? Item secundo: hac ipsa de causa, videlicet ob realem identitatem nulla reduplicatiue adiecta affirmatam, verè inuicem prædicantur abstracta accidentium, necnon concreta, tum accidentium, tum etiam substantiarum: harum ergo abstracta similiter poterunt absque ullo falsitatis periculo inuicem prædicari: Rursus tertio: de humanitate eius essentia ac definitio verè prædicatur: ea autem alia non est quam animalitas, & rationalitas: hæc igitur de illa verè prædicantur. Præterea quarto: hæc prædictio est vera; hæc humanitas Christi v. g. est humanitas: ergo etiam hæc erit vera, humanitas est animalitas: antecedens est per se notum, & à nemine, quem viderim, non admissum: consequentia perspicua: cur enim abstractum speciei de abstracto indiuidui, nempe huius hominis, verè prædicari queat, & non abstractum generis de abstracto speciei. Quintò: & recidit in idem: hæc propositio est vera, hæc animalitas est animalitas: quidni ergo & ista, humanitas, siue quod iuxta est, animalitas rationalis est animalitas.

3. Sextò: hæc prædictio, vel iuxta plerosque aduersarios est vera: paternitas est essentia diuina, siue deitas, nimirum quia, licet subiectum sit abstractum

Patris & prædicatum Dei, tamen alterum cum altero realem habet identitatem: par conditio est huius propositionis profectò verissimæ, iustitia diuina est eius misericordia, vbi nihilominus abstractum de abstracto, iusti scilicet de eo quod est misericordis, enunciatur: cur non ergo similiter in creatis, abstracta de abstractis secum realiter identificatis prædicentur? quod si paternitas diuina non solum re sed ratione includat naturam, ac deitatem, & iustitia diuina misericordiam (an enim ita se res habeat, vel secus, impræfens non definitio) adhuc valet nostrum argumentum, si non vt probet, animalitatem verè dici de rationalitate, at certè vt conuincat, eam nec non rationalitatem ex vero affirmari posse de humanitate: hæc enim illas non re modo sed etiam ratione includit. Vterius animalitas est ratio quædam communis & non singularis: habet ergò aliqua inferiora sibi proxima, & immediata, de quibus verè possit enunciari: ea verò quamnam obsecro sunt nisi humanitas, & equinitas? potest igitur ac debet animalitas de eis, verè prædicari. Profectò iuxta contrariam sententiam animalitas esset, & non esset ratio superior: esset, vt omnes habent in confello: non esset, quia de nullis inferioribus immediatè prædicabilis: quemadmodum autem id quod potest de aliquibus inferioribus sibi immediatis verè prædicari, nequit esse indiuiduum, aut ratio singularis; ita è regione quod de nullis inferioribus sibi immediatis verè prædicatur, cuiusmodi secundum aduersarios est animalitas, id nequit esse ratio superior, & vniuersalis. Denique humanitas, & equinitas haud sunt primò diuersæ, sed potius in aliquo prædicato vtrique communi vniocè conueniunt, aliàs ne homo & equus eam haberent conuenientiam: quo pacto, nisi albedo, & nigredo vniocè participarent rationem coloris, sanè album, & nigrum neutiquam possent in ratione colorati vniocè conuenire: quodnam autem esse potest illud commune prædicatum, in quo humanitas, & equinitas vniocè conueniant nisi animalitas, aut aliud abstractum id genus? Dices, esse non animalitatem, sed rationem transcendentem entis, aut rei, quippe apud aduersarios nihil est celebrius, quam hanc prædicationem, humanitas est res quæ est animalitas, & alias similes esse veras: cæterum in primis eorum non pauci censent, rationem entis & rei esse non vniocam, sed analogam: Deinde si lubet esse vniocam, inde potius sequitur quod intendimus, nempe animalitatem etiam esse rationem vniocam respectu humanitatis & equinitatis: qui enim fieri potest, vt conceptus remotus, & vniuersalior sit vniocus respectu aliquorum inferiorum, quin eorundem etiam contemplatione sit vnioca ratio inferior, & immediata tamen è contrario fieri quandoque possit, vt ille sit analogus, quin hæc talis sit, sed potius vnioca? Sic iuxta omnes repugnat hominem, & equum v. g. vniocè conuenire in ente aut substantia, quin ita conueniant in animali sibi pro priori, quamuis è conuerso conueniant iuxta non paucos analogice in ente, non tamen in animali. Quocirca vt dictum est, si humanitas, & equinitas conueniunt vniocè in conceptu entis, aut rei, magis est vt similem conuenientiam habeant in animalitate, quæ vtramque propius contingit.

4. Assero secundo: abstracta substantiarum in sensu formali, & reduplicatiuo modo verè, modo falsò inuicem prædicantur. Ita Fonseca lib. illo 5. metaph. c. 28. q. 13. Hurt. vbi suprâ, & alij per plures. Probatur, & declaratur ex dictis: hæc propositiones: rationalitas formaliter est animalitas, animalitas in quantum animalitas